

rationem mensuræ habet à superficie: est enim mensura extrinseca: superficies intrinseca.

Dici potest: quod intrinsecum, & extrinsecum per se non variant rationem mensuræ: ideo nec locus per se habet aliam rationem mensuræ à superficie: ideo enim est extrinseca: quia est vltimum corporis continentis materialiter; & non vltimum contenti; quod tamen mensuratur à loco.

Ad secundum dico: quod secundum locum formaliter non dicitur aliquid per se æquale alijs: sed forte materialiter secundum superficiem continentis: imo magis locus dicitur æqualis locato secundum Arist. 4. Physicorum: & non illud, secundum quod alia dicuntur æqualia.

Ad tertium dico: quod locus per accidens est diuisibilis, per naturam materialis sui: sicut cætera formæ per se fundata in quantitate sunt per accidens diuisibiles per naturam quantitatis: & locus forte plus cæteris; eo quod propria passio superficie, &c.

Summa textus.

IN hac quæstione, quæ secundum Doctoris textum, ex quatuor integratur; quærit ipse de quantitate continua; an scilicet huius species sint ab Aristotele sufficienter enumeratæ: & quia quinque à Philosopho assignantur: Linea; Superficies; Corpus; Tempus, & Locus: & de tribus prioribus ab omnibus conceditur pars affirmatiua; de duabus vltimis tantum disputat: & postquam, more solito, partem negatiuam cum suis fundamentis apposuit; pro affirmatiua.

1. Conclus. Dicit primo. Tempus est quantum per se; vt ly per se, distinguitur contra per accidens: nõ tamen vt distinguitur contra per aliud: hæc habetur ibi: Ad primum argumentum primæ quæstionis: & per illam ad dubium de tempore factis sit.

2. Conclus. Secundo dicit: locus non est species quantitatis: habetur ibi: Ad secundum quæsitum dicendum.

3. Conclus. Tertio dicit: locus non est necessario continuus: sed nihil refert ad illius vnitatem; superficies esse contiguas: si idem locatur à diuersis corporibus contiguis. vel superficiem vnus esse continuum; si locatum locatur in vno locante. Hæc habetur ibi: Similiter pro prima ratione, ad tertiam quæstionem.

4. Conclus. Quarto dicit, nullo modo possunt partes loci copulari ad eundem terminum numero, ad quem partes corporis: habetur ibi: Similiter ad quartam, &c.

Quinto dicit: cum Aristoteles fuerit secundum Antiquorum opinionem loquutus; non sufficienter numerauit species quantitatis; saltem quoad hanc speciem, locus habetur ibi: Ex hoc sequitur solutio primæ quæstionis. Hæc sunt conclusiones ex Doctoris littera deductæ, quibus omnibus quæsitis responderet: de quibus, & de alijs, ad quantitatem hanc continuam pertinentibus, est nobis inuestigandum; ne aliquid ad hæc materiam conducens relinquamus.

5. Conclus.

ARTIC. I.

An Linea; Superficies, & Corpus; sint species quantitatis continua?

QVOD non; videtur primo: Nulla species vnus generis est de quid dicitur alterius speciei eiusdem generis: sed linea est de ratione superficie, & superficies de ratione corporis: ergo non sunt species distinctæ: minor parte: nam superficies terminatur duabus lineis: & corpus duabus superficiebus: sicut linea terminatur punctis: ergo sicut puncti sunt de ratione lineæ; ita lineæ sunt de ratione superficie; & superficies de ratione corporum: ergo, &c.

1. Argum.

Secundo, istæ tres species tantum differunt secundum magis, & minus; ergo non sunt essentialiter diuersæ: antecedens probatur: nam linea tantum differt per hoc; quod sit extensa ad vnum: superficies ad duo: & corpus ad tria: sed hoc est differre secundum magis, & minus: ergo.

2. Argum.

Tertio, istæ non distinguuntur realiter: ergo nec essentialiter: probatur antecedens: nam nulla superficies per aliquam potentiam est diuisibilis sine lineis: nec linea sine punctis: nec corpus sine superficie: ergo non distinguuntur realiter.

3. Argum.

Quarto, superficies saltem est corpus essentialiter: ergo non est species à corpore distincta: antecedens probatur: superficies habet duplicem superficiem; alteram, quam inhæret subiecto; & alteram, qua terminat visum; ergo est corpus: quia de ratione corporis est duplici superficie terminari.

4. Arg.

Pro intelligentia notandum primo. Aliud esse contiguum; & aliud continuum: contigua, secundum Aristot. 5. Physicorum tex. 26. sunt, quorum extrema sunt simul: id est, quæ medijs extremitatibus se contingunt. Continuum vero est, cuius partes aliquo continuatiuo copulantur: quare Philosophus in hoc cap. sic continuam quantitatem diffinit: quantitas continua est, cuius partes vnico communi termino copulantur: hoc est, puncto indiuisibili, qui taliter hanc partem terminat; vt sic etiam initium alterius partis sequentis: & ita est terminus, & principium. Et talis quantitas continua est duplex: permanens, quæ in lineâ; superficiem; & corpus, partitur: & successiua, quæ in tempore, & motum diuiditur. Vnde hic tantum de permanente inuestigamus.

1. Not.

Secundo notandum: in corpore, humano, v.g. triplicem

2. Not.

triplicem extensionem continuam considerari posset: à pedibus vsque ad caput; & è contra: non considerando latera corporis: & hæc dicitur longitudo; seu Linea; quæ à Mathematicis sic diffiniri solet: linea est, quæ fit ex ductu puncti: si enim punctus indiuisibilis, qui ab illis mathematico more fingitur in planta pedis; fluere ab ipsa planta vsque ad capitis verticem; vestigium illud à puncto derelictum diceretur linea; seu longitudo: & hoc est ex ductu, seu fluxu puncti fieri lineam, quæ cum terminetur duobus punctis, & infinitis coniuetur; dupliciter à nobis notificari potest: primo, ex ratione terminorum, hoc modo: Linea est magnitudo ad vnum punctum, & duplici vtraque parte, terminata. Ex parte vero continuationis sic: Linea est magnitudo continua, cuius partes punctis copulantur. Et vt vtramque rationem sub vna explicemus: Linea est magnitudo continua, cuius partes punctis copulantur, & illis terminantur.

Alia extensio in corpore humano potest considerari ex latere dextro vsque ad sinistrum; & è contra; includendo illam planitiem: & talis extensio dicitur superficies, seu latitudo; quæ sic à Mathematicis describitur: Superficies est, quæ fit ex ductu lineæ: quæ eodem modo, quo descriptio lineæ, est intelligenda. Cum vero latitudo duabus lineis terminetur; & infinitis coniuetur; aliter, sicut & linea; ab Aristot. describitur sic: superficies est magnitudo ad duo terminata: id est, ad lineam proximam, & ad punctum remotam. Vel aliter est magnitudo continua duabus lineis terminata, & infinitis continuata.

Alia denique extensio consideratur à ventre vsque ad tergum; & talis dicitur corpus, siue profunditas: & sic describitur: corpus est, quod fit ex ductu superficie; vel est magnitudo ad tria terminata: videlicet ad superficiem proximam; & ad lineam, ac punctum remotum. Seu aliter: Corpus est quantitas continua, cuius partes duabus superficiebus terminantur, & infinitis copulantur, ac continuantur.

3. Not.

Tertio notandum: quod vt iam supra quæst. 10. Antepredicam. in solutione ad primum adnotauit aliquantulum Doctor: corpus tripliciter sumitur: vel prout ex materia, & forma substantiali constat, & vt sic, prout ab hæcætatibus; & existentijs abstrahit est gradus in prædicamento substantiæ: aut sumitur pro altera parte compositi physici: ac tandem sumitur pro specie quantitatis; vt iam explicauimus. Vnde cum sit quantitas secundum omnem extensionem extensa; & nullius alterius quantitatis sit pars, ab omnibus conceditur esse veram huius prædicamenti speciem: quare solum de linea, & superficie potest esse dubitatio.

4. Not.

Quarto notandum: quod aliter linea, & superficies sunt species quantitatis; & aliter principiant, seu terminant, linea scilicet superficiem, & superficies corpus: nõ hoc posteriori modo sunt indiuisibiles: linea enim est indiuisibilis secundum latitudinem: & vt sic, terminat, & coniuat superficiem. Superficies etiam est indiuisibilis secundum profunditatem: & vt sic, terminat, & copulat corporis partes: & hoc modo reductiue

ponuntur in genere cum ipsis partibus, quas terminare, & copulare dicuntur. Sicut punctus reductiue cum partibus lineæ; & materia, ac forma, cum suo composito, collocantur. At vero priori modo sunt entia completa in suo ordine; & ideo per se sunt veræ species entis; & directe in Prædicamento apparentur.

1. Conclus.

Dicendum primo. Linea; Superficies; & Corpus; sunt tres species quantitatis continuæ, inter se realiter distinctæ: Hæc cum Aristot. tanquam certa supponitur à Doctore; colligiturque ex ipso in secundo, distinct. 2. quæst. 9. est que D. Thomæ opusc. 30. cap. 2. & Aliorum, quos refert, & sequitur Araujo 5. Metaph. quæst. 3. art. 5. & statuitur contra Durandum in 2. dist. 2. quæst. 4. & Ochamum tract. de Eucharistia q. 1. asserentes has tres species in negatione diuisionis vltioris magnitudinis consistere: & contra Arimensem affirmantem in secundo, distinct. 2. quæst. 2. art. 1. cum corpore omnes identificari realiter; & tantum penes connotationes quarundam negationum distingui.

Prima pars probatur: illæ sunt propriæ species alicuius generis, quæ naturam genericam participant distinctis differentijs contrariam: sed linea, Superficies, & Corpus sunt huiusmodi: respectu quantitatis continuæ, quæ est genus in hoc Prædicamento: ergo sunt veræ; & propriæ species illius: minor probatur: nam omnes istæ essentialiter habent extensionem quantitativam terminis communibus copulatam, quæ est ratio generica: habentque peculiare rationes extensionis; vt diximus: & statim amplius dicemus: quæ sunt veræ, propriæ, ac positivæ differentie: ergo sunt propriæ species quantitatis.

Secunda pars ostenditur: illæ quantitates, quæ habent diuersas rationes extensionis, sunt essentialiter diuersæ: sed prædictæ sunt huiusmodi: ergo: probatur minore: nam linea habet dimensionem secundum vnam extensionem nempe longitudinem; Superficies secundum duas; longitudinem, scilicet, & latitudinem: Corpus autem secundum tres; longitudinem, videlicet, latitudinem, & profunditatem; ergo habent diuersas extensiones essentielles: ergo realiter distinguuntur: nam distinctio essentialis in creatis est realis. Vide Araujo late hanc partem prosequentem.

2. Conclus.

Dicendum secundo. Istæ tres species quantitatis continuæ sunt infimæ, & atomæ, tam in ratione diuisibilis, quam in ratione mensuræ: hæc quoad primam partem est fere communis; quoad secundam statuitur contra Soto: & probatur quoad primam: essentia quantitatis in extensione consistit: ergo non potest diuidi in species essentialiter distinctas; nisi per modos extensionis essentialiter diuersos: sed linea (& idem de alijs) nõ diuiditur per tales modos: ergo nec diuiditur per species essentialiter diuersas: probatur minore: nam extensio cuiuscumque lineæ est in partes longitudinis; quæ est æqualis in omnibus; & puncti, quibus omnes lineæ inter se continuantur, sunt eiusdem speciei: ergo omnes lineæ cum eodem puncto sint continuabiles, sunt eiusdem speciei.

Secunda

ARTIC. II.

An locus sit species quantitatis continua?

Secunda pars patet: ratio mensura in linea profuit ab eius essentia: sicut & diuisibilitas: sed secundum istum, Linea, in quantum diuisibilis, est species infima: ergo & in ratione mensurae.

Sed arguit Soto: Linea potest diuidi in rectam, curuam, & circularem: & superficies in asperam, & lennem: sed talis diuisio est generis in species: ergo.

Respondeo: quod curuitas, & circularitas sunt figurae qualitatis: & sicut homo per albedinem, & nigredinem tantum accidentaliter differt: sic linea per curuitatem: potest enim eadem esse recta, & curua: & idem dico de asperitate & lennitate in superficie.

Ad primū.

Ad argumenta: ad primum nego minorem: nam terminus non est de quidditate rei, cuius est terminus; sed quid illi extrinsecum. Vnde sicut Linea non componitur ex punctis: ut latissime probat Doct. in 2. distinct. 2. quaest. 9. & nos super libros Physic. probabimus: sic, nec superficies ex Lineis, nec corpus ex superficiebus.

Dices, superficies componitur ex lineis; quatenus est diuisibilis: nam superficies est formaliter longa: ergo, &c.

Respondeo: Lineam non pertinere ad superficiem: quatenus est diuisibilis: sed quatenus est diuisibilis secundum latitudinem: & ut sic, superficiem terminat, & continuat: quia superficies formaliter tantum dicitur unam dimensionem secundum latitudinem: sicut & corpus alteram secundum profunditatem. Vnde cum dicitur: superficies est formaliter longa: corpus est formaliter latum: distinguendum est ly formaliter: si enim faciat hunc sensum: quod superficies est formaliter longa longitudine constituenta lineam in suo esse, falsa est propositio: Si vero faciat hunc sensum: quod superficies continet formaliter longitudinem lineam, tanquam terminum, & continuatum suarum partium: vera est: sed tunc nihil contra nos. Et ita intelligendae sunt definitiones traditae.

Nota.

Ad secundū.

Ad secundum, nego antecedens: nam formaliter per diuersas extensiones distinguuntur: licet per suos terminos etiam ab extrinseco distinguantur: vel dic: quod distinguuntur per magis, & minus, in essentijs: & ideo corpus est perfectissima species magnitudinis per Arist. 1. de Caelo cap. 1.

Ad tertium.

Ad tertium, nego antecedens: ad probationem dico: & quod de potentia Dei sunt separabiles: & quod licet separari non possint; adhuc realiter distinguuntur: nam realis distinctio non semper separationem arguit.

Ad quartum.

Ad quartum, nego similiter antecedens: ad probationem dico: quod superficies secundum se est tantum vnica extensio; scilicet, latitudo sine profunditate: & si a corpore daretur separata; vtrumque illius extremum eodem oculo videtur.

TOTA dubitandi ratio est auctoritas Aristotelis locum inter species quantitatis continua enumerantis: sed pro illius, & Doctoris mente apperienda, notandum: quod locus potest accipi; vel pro ipso corpore locante: ut aer est locus aquae: vel pro superficie vltima illius corporis: & ut sic in quarto Physicorum, tex. 41. ita diffinitur: locus est vltima superficies corporis continentis, immobilis primus: & his duobus modis sumitur materialiter: diuersimode tamen: nam primo modo dicitur locus materialis remotus: secundo vero modo materialis proximus. Vel tertio sumitur locus pro formali: & est quiddam respectus extrinsecus adueniens per motum acquisitum resultans inter rem locatam, & superficiem locantem, qui proprie, Vbi, nuncupatur: tandem sumitur pro aggregato ex vtroque cum inclusione qualitatum, & influentiae Coelestis: in quo sensu dixit Porphyrius: locus est generationis principium: de quo cap. de genere, quaest. 1. iam diximus: hoc posito in praesenti tantum inquiritur de loco pro materiali proximo, & pro formali accepto.

Nota.

Dicendum primo. Locus pro materiali proximo est species quantitatis continua, eadem formaliter cum superficie. Hæc est Doctoris in præfati, & 5. Metaphysic. quaest. 10. & super tex. 9. in fine, & etiam omnium suorum ibidem, quos sequuntur Fonseca 5. Metaph. cap. 13. quaest. 7. sect. 1. & 2. & Conimbric. in quarto Physicorum cap. 4. quaest. 1. art. 2. ad tertium, & statuitur contra Suarez tom. 2. Metaph. disput. 40. sect. 7. & Araujo 5. Metaph. quaest. 3. art. 5. num. 52. asserentes locum esse diuersam quantitatis speciem, non in ratione extensionis, sed dumtaxat in ratione mensurae, a superficie: contra quos probatur conclusio. Primo, genus per sui diuisionem formalem contrahitur ad speciem: sed ratio formalis superficiei est extensio passium secundum latitudinem: ergo per diuisionem huius debet constitui noua species superficiei, quæ, ut sic, sit noua extensio secundum latitudinem: sed locus pro materiali, siue in ordine ad corpus continens, cuius est superficies; siue in ordine ad rem contentam, quam locat, & continet; non dicitur aliam extensionem secundum latitudinem: quam eam, quam dicit ipsa superficies corporis continentis: ergo ab ipsa non distinguitur; sed est formaliter ipsa. Minor quo ad primam partem patet: nam superficies aeris, ex eo, quod me circumscribat; non tribuit substantiæ aeris aliam latitudinis extensionem; nisi denominationem quandam extrinsecam; & relationem realem continentis, quæ non sunt quantitates.

1. Conclus.

Secunda minoris pars probatur: nam locus non tribuit locanti respectu locati, nisi vel ordinem realis continentis, qua dicitur manifestare, seu mensuram quantitatem locati; vel tribuit illi ordinem aptitudinalem ad conti-

nen-

nendum: sed neutrum istorum est specialis extensio secundum latitudinem: ut patet: ergo locus nullo modo a superficie distinguitur: sicut enim locatum contineri, siue actualiter, siue aptitudinaliter; non dicit in locato specialem extensionem a superficie ipsius: ita nec continere, seu esse contentiuum in locante dicit aliam extensionem; nisi suam superficiem, & per hoc manet euersum fundamentum Contrariorum, qui existimabant locum supra superficiem addere aptitudinem ad continendum, atque mensurandum locatum: nam talis aptitudo est respectus quidam nihil absolutum addens superficiei locantis: sicut nec aptitudo recipiendi albedinem addit in mea superficie aliquid absolutum.

2. Conclus.

Dicendum secundo, locus pro formali non ad hoc, sed ad prædicamentum, vbi, pertinet: est Doct. ut supra, & ibi latissime probabitur, Reliqua de loco patet in littera.

ARTIC. III.

An motus sit per se species quantitatis continua.

1. Sentent.

PRIMA sententia negatiua est Suarez disput. 40. sect. 7. & Araujo 5. Metaph. quaest. 3. art. 5. numero 53. quos sequitur nos Valera lib. 2. distinct. 4. q. 5. vbi ait in hac sententia omnes fere conuenire: & probatur primo, nam Arist. nec in Logica, nec in Metaphysica numerat motum inter species quantitatis: imo eum quantum per accidens appellat ratione magnitudinis, supra quam sit; ergo, &c.

1. Argum.

2. Argum.

Secundo arguit Valera: extensio motus non est extensio quantitatis: sed entitatis; ergo ratione illius non debet species quantitatis continuae assignari: antecedens probum: nam extensio motus est veluti extensio aliorum accidentiuum materialium: sed hæc in illis est extensio entitatis tantum: nihil enim est aliud; quam continua compositio, & vnio propriarum partium; quæ etiam in substantia reperitur: ergo similiter motus extensio est entitatis.

3. Argum.

Tertio, quantitas per se primo ordinatur ad reddendam substantiam quantam; secundo vero accidentia, quæ illi insunt: sed motus non sic ordinatur: sed tantum ad acquisitionem termini; ergo, &c.

4. Argum.

Quarto, motus est essentialiter ens imperfectum: ut ex eius definitione constat; ergo per se, & directe non habet locum in prædicamento: ergo indirecte tantum: ergo non est species vera quantitatis.

2. Sentent.

Secunda sententia affirmatiua est Doct. 5. Metaph. quaest. 10. §. & concedo: ipsum sequuntur communiter Scotus & Antonius Andreas 7. Metaph. quaest. 10. Ioannes de Colonia verbo, motus, Tatarus in hoc cap. §. quarto sciendum in fine; ex alienis Fonseca 5. Metaphys. cap. 13. quaest. 8. sect. 1. & 2. Conimbric. 3. Physic. cap. 2. quaest. 2. art. 3. pro cuius sententia explicatio

ne notandum primo: Aristotelem in hoc cap. de motu, 8. tempore agere; quatenus deseruiunt ad has prædicationes fundandas: substantia mouetur: substantia est temporalis. Vnde, cum quantitas continua in permanentem, & successiuam diuidatur; & permanens in lineam, Superficiem, Corpus, & locum diuidatur: & successiuam in motum, & tempus; postquam de permanente tradidimus; restat nunc de successiuam determinare: & primo de motu, qui ab Arist. in quarto Physicorum sic diffinitur: motus est actus entis in potentia; ut in potentia: quæ diffinitio aliquantulum ex dicendis manifestabitur.

1. Nota.

2. Nota.

Secundo notandum: quod motus proprie dicitur, ut contra mutationem distinguitur, in duobus solum prædicamentis reperitur: in quantitate, videlicet, & dicitur augmentatio, vel diminutio; & in qualitate: & dicitur intensio, siue remissio: quorum quidem motuum; ut ex Doct. in 1. distinct. 17. quaest. 3. & in 4. dist. 10. quaest. 2. lit. O. constat; termini sunt in duplici differentia: alij sunt primi, & formales; alij concomitantes: termini primi sunt priuatio, & formati: termini concomitantes sunt, qui terminis primis coniunguntur. Illi sunt impossibiles; non tamen isti. Exemplum: in augmentatione, terminus a quo per se primus, & formalis, est priuatio quantitatis, quæ de nouo acquiritur: terminus vero, ad quem, est ipsa quantitas de nouo acquisita: terminus concomitans ipsam priuationem, quæ est terminus, a quo, est quantitas præexistens augmentationi, quæ est compositibilis cum quantitate, quæ acquiritur: & inter hos terminos concomitantes datur motus, qui dicitur augmentatio; & sic de reliquis: nam quilibet motus præsupponit formam ab agente in aliquali esse productam: quia fluxus, & successio formæ ipsammet formam præsupponunt.

3. Nota.

Tertio notandum: quod tripliciter aliquod subiectum se habet ad aliquam formam habendam: primo; ut sit in pura potentia ad ipsam, nihil habens penitus de illa: sicut aqua, quæ nihil frigiditatis habet. Secundo; ut iam habet formam in summo, quo ipsam habere potest: ut, si frigiditas, ut octo, esset summa frigiditas: aqua habens frigiditatem ut octo, haberet illam in summo. Tertio, contingit, ut subiectum habeat formam medio modo inter puram potentiam, & actum in summo: ita ut habeat esse dimittiuum formæ, respectu formæ perfectæ, quam habere potest: & subiectum, ut sic, quatenus continue tendit ad acquirendum residuum formæ perfectæ, dicitur actu moueri: & illa continua tendentia, fluxus, seu successio inter partes formæ, quam acquirit, dicitur motus.

4. Nota.

Quarto notandum: quod motus potest dupliciter considerari, materialiter, vel formaliter: primo modo est ipsamet forma fluens; quatenus acquiritur de esse imperfecto ad perfectum, quod in subiecto habere potest: secundo modo, est ille fluxus continuus inter terminum, a quo, concomitante, & terminum, ad quem, aduenientem: qua successione partes formæ, successiue, & non omnes simul, acquiritur; dicunturque diuisibiliter, & extensiuè pars, scilicet, extra partem sub-

iecto

iecto mobili aduenire: & hæc actualis acquisitio, prout continuat vnâ partem formæ ad aliâ partem, extendendo illas inter se; vt vna alteri succedat: & non omnes simul: hæc, inquam, extensio continua successiua inter partes formæ dicitur motus; cuius partes, id est, successiones partiales; continentur indiuisibilibus, quæ mutata esse communiter vocantur: sicut enim quantitas continua permanens partes substantiæ extendit; vt vna ab alia diuidi queat: sic motus partes formæ entitatiue extensas extendit; vt altera alteri succedat.

5. Nota.

Quinto notandum; quod motus ab alio habet; quod sit extensus; ab alio; quod sit cõtinuus; & ab alio; quod sit successiuus: primum habet ratione quantitatis; secundum, ratione indiuisibilitatis; quibus continuatur: tertium denique ratione formæ, quæ acquiritur: nam siue propter resistantiam mobilis ad Motorem, quæ consistit in hoc; quod mobile, dum mouetur; semper est sub aliquo, cui repugnat immediate, & simul habere terminum intentum: siue propter resistantiam mediæ ad mobile: quia Mouens debet medijs ordinatis naturaliter inducere formam; siue propter vtriusque resistantiam ad mobile: non potest tota forma simul acquiri: & ideo ratione formæ causatur successio in motu; quæ quidem successio est motui intrinseca, & essentialis.

1. Conclus.

Dicendum primo, motus pro materiali ponitur in prædicamento formæ, ad quam est motus. Hæc est communis; & patet: nam motus pro materiali est ipsa forma fluens; quatenus tendit de esse imperfecto ad sui esse perfectum: ergo, &c.

2. Conclus.

Dicendum secundo, motus formaliter sumptus est vera, & propria species quantitatis continuæ, per se, & non per accidens. Hæc est Doct. vt supra; & probatur primo ex Arist. 5. Metaph. cap. 12. tex. 18. dicentem: motum pertinere ad prædicamentum quantitatis: & subdit: Quod quia motus est quantus; & tempus quatum. Sed tempus est per se quantum: vt dicemus: ergo motus erit per se quantus.

Secundo, illa est species per se quantitatis continuæ, quæ per se habet partes extensas copulatas vnico communi termino à reliquis terminis communibus essentialiter diuerso: huiusmodi est motus formaliter, & contra mutationem sumptus: ergo: probaui minorem: nam motus, seu continuus fluxus, vnus formæ successiue acquisibilis, habet partes mutatis esse terminatas, & copulatas: nam aliter qualibet forma in instanti acquireretur: quod experientia constat esse falsum: ergo motus habet partes extensas vnico communi termino ab alijs distincto copulatas: ergo est per se species quantitatis continuæ.

3. Conclus.

Dicendum tertio, motus realiter à mobili, & à suo termino distinguitur: Hæc colligitur à Doct. vt supra; & 9. Metaph. quæst. 14. prima pars probatur primo: mobile secundum se potest esse absque omni motu: ergo realiter distinguitur: antecedens probaui supponendo cum Doct. in 2. distinct. 2. quæst. 2. lit. E. quod mobile tripliciter considerari valet: vel prout est inter ter-

minos mutationis; vel prout est sub terminis; vel secundum se, cum aptitudine ad moueri: mobile primo, & secundo modo nõ potest esse sine motu: bene tamen tertio modo sumptum; & vt sic distinguitur realiter à motu: & etiam alijs modis capitur: nam motus est accidens mobili ab extrinseco adueniens.

Secundo, mobile sæpe est substantia; & motus accidens: sed substantia, & accidens realiter distinguntur: ergo.

Tertio, mobile est ens permanens, & motus est ens successiuum: sed permanens, & successiuum essentialiter distinguntur: ergo & motus à mobili.

Secunda pars patet: illa realiter distinguntur, quorum vnus manente, alterum non manet, & vno corrupto, alterum non corrumpitur: sed motus, & eius terminus sunt huiusmodi: ergo: probatur minor: nam acquisito termino; cessat motus: habitibus enim præsentibus in materia, cessat motus, ex primo de generatione: ergo; &c. Alias rationes vide apud Coloniam quæst. 26. quæ est tertia de motu.

Ad argumeta: ad primum dico, quod Arist. in Logica loquitur de speciebus quantitatis famosis; & non de omnibus: illa autem quinque sunt quantitates famosæ: quia habent rationem mensuræ: motus vero; quia non habet rationem mensuræ aliam à tempore; non numeratur inter species quantitatis famosas.

Vel aliter: quod in Logica non loquitur ex mente propria: nec rerum quidditates ibi inquirunt; & ideo motum quantitatem non appellat: eo modo, quo in Metaphysica; vbi tempus quantitatem non nominat: quia quidditas temporis est idem realiter cum quidditate motus.

Ad aliud; quod vocat motum quantum per accidens, dico: quod ly, per accidens stat dupliciter: vel vt distinguitur contra per se, vel vt distinguitur contra ly, primo: motus est quantus per se; vt opponitur contra ens per accidens: est tamen quantus per accidens: quia non est quantus per se primo: nam prima quantitas est magnitudo permanens: secunda, motus: tertia, tempus. Vel dic: quod est quantus per accidens eo modo, quo Doct. hic ad primum primæ quæstionis, de tempore respondet.

Ad secundum, distingo antecedens: est extensio entitatiua præsupponens essentiam partium, quarum extensio entitatiua dicitur extensio: nego antecedens: est extensio entitatiua non præsupponens tales partes in suo esse quidditatio constitutas; sed ipsa est ipsarummet essentia: concedo: & tunc talis extensio differt ab extensione entitatiua accidentium materialium: nam talis præsupponit essentiam partium, quas ordinat: non vero hæc extensio motus.

Ad tertium, nego minorem: nam motus immediate extendit formam; & mediate substantiam: hoc enim est proprium quantitatis successiuæ, vt mediante magnitudine substantiam extendat.

Ad quartum, quod motus pro materiali est ens imperfectum; secus motus pro formali, de quo loquimur; & de quo arg. non procedit.

AR.

ARTIC. III.

An tempus sit vera species quantitatis continua à motu realiter distincta?

QVIA subtilissimus Magister in duplici sententia; quæ circa hanc difficultatem citari solet, problematicus fuisse videtur: & nos vtramque amplecti; & earum rationibus solutionem adhibere, ex eius mente conamur: Ideo notandum primo, quod tempus est numerus motus secundum prius, & posterius: in qua diffinitione, numerus; vt ait Doct. in solutione ad tertium pro prima quæstione; nõ sumitur pro numero prædicamentali; de quo iam diximus: sed sumitur large; quatenus idem, quod mensura significat.

1. Nota.

Secundo notandum: quod sicut duplex est motus; communis; & specialis: cõmunis est motus primi mobilis, qui est regularissimus; velocissimus; & maxime vniformis; qui in primo mobili, seu octaua Sphæra, quæ ipso motu diurno vniuersum voluit, subiectatur: Specialis est quilibet motus horum inferiorum, & aliorum à primo mobilis: ita duplex est etiam tempus: alterum commune, de quo in 4. Physicorum cap. de tempore dicitur: idem tempus est vbique, scilicet, in Cælo, & in terra: & tale tempus est mensura motus primi mobilis: alterum est tempus speciale, quod specialis motus mensuratur.

2. Nota.

Tertio notandum: quod mensura est duplex; intrinseca, & extrinseca: intrinseca est ipsa rei duratio, seu perseverantia: extrinseca est illa, quæ per accidens mensurat aliud ab eo, quod per se, & intrinsece mensurat, v. g. tempus commune, quod est mensura intrinseca motus primi mobilis; quatenus mensurat motus inferiores, & speciales; dicitur mensura extrinseca: & talis extrinseca mensura semper realiter distinguitur à mensurato: non vero mensura intrinseca: nam hæc, sufficit, vt formaliter distingatur.

3. Nota.

Quarto notandum: quod duo ad rationem mensuræ requiruntur: primum esse certitudo: quæ tamen mensurans debet esse certa, inuariabilis, & nota: Secundum quod sit primum illorum; quæ sunt in genere mensurabilium per illam: vt docet Arist. 4. Physicorum tex. 133. Præterea requiritur; vt sit vnus æquabile ab alijs illius generis: ita quod comparando alia illi; cognoscatur esse numerus, & mensura illorum. Vnde entitas illa, cui hæc competunt à parte rei, optime mensura poterit appellari: & cū tempus sit quædam mensura motus; entitas illa, cui conditiones ad mensuram requisitæ conueniunt, merito temporis nomen sibi vendicabit.

4. Nota.

Dicendum primo, tempus est per se species quantitatis cõtinuæ à motu realiter distincta. Hæc est Doct. 6. Metaph. q. 10. vbi sic ait: & cõcedo quod nullus motus; sed quantitas, quæ motus est quantus, est alia species à magnitudine, & à tempore: ita quod tres sunt species quantitatis permanentis: scilicet corpus, superficies, & linea: & duæ species successiuorum; scilicet successio motus; & temporis.

1. Conclus.

Concedatur. Hæc Doct. & idem docet in hæc quæst. in solutionibus argumentorum primæ quæstionis: & probatur ratione.

Illæ quæritates nõ sunt eadẽ realiter, quarum partes nõ sunt æquales in numero, & magnitudine in vtraque quæritate: sed partes quantitatiuæ in motu, & in tempore non sunt æquales: ergo nec motus, & tempus sunt idẽ realiter: minor probatur: cū eisdẽ partibus temporis possunt esse plures partes motus æquales prioribus partibus temporis: vel tot inæquales: v. g. sit virtus mouens aliquid mobile velocius in duplo alia virtute mouete idẽ mobile: vt puta; Petrus mouet lapidem per miliarium in vna hora: Angelus vero mouet eundẽ lapidẽ per miliarium in dimidia hora: quia habet virtutẽ velociorẽ in duplo: tunc omnes partes magnitudinis, quæ sunt in motu tardiori, sunt etiã in motu velociori: & tamẽ partes temporis nõ possunt esse eadẽ partibus istorum motuum: quia illæ sunt inæquales: ergo motus, & tempus realiter distinguntur: & cū tempus sit successio continua vnico communi termino copulata; videlicet instanti; sequitur intentum.

Secundo, cuius partes copulatur ad aliquẽ terminum cõmunẽ ab alijs essentialiter distinctum, distincta habet cõtinuitatẽ, & quantitatem essentialẽ: huiusmodi sunt motus, & tempus; nõ illius partes mutatis esse: istius autẽ instantibus; quæ sunt indiuisibilia essentialiter diuersa: ergo, &c.

Tertio, tempus debet motu mensurari: ergo tempus cõmune mensurat motum cõmunẽ: sed si motus, & tempus realiter sunt idem; tempus nequit motum mensurare: quia nihil est sui mensura: igitur videtur dicendum, tempus esse speciem à motu realiter diuersam.

Dicendum secundo, tempus est idẽ realiter cum motu: sicut subiectum & passio: & solum formaliter positue distinguntur. tempusque reductiue ponitur in hoc prædicamento. Hæc quoad primam partem est Doct. in 4. distinct. 48. q. 2. lit. G. quam, si cut & precedentẽ, approbare videtur in 2. distinct. 2. q. 2. & 3. & probatur primo, tempus est numerus numeratus motus: sed ipse motus est numerus numeratus: ergo tempus est realiter motus: & e contra. Maior est Arist. 4. Physicorum tex. 102. vbi diffiniens tempus per numerum se declarat dicentem: quod sit numerus numeratus. Minor probatur: motus est numeratus per tempus: ergo est numerus numeratus: sed tempus est realiter numerus numeratus: ergo realiter est motus.

2. Conclus.

Secundo, si tempus esset quid distinctum à motu, esset etiã notius motu: quia mensura debet esse notior mensurato: at tempus nõ est notius motu: imo est oppositum: vt patet ex ijs, quæ dicit Arist. in 4. Physicorum tex. 97. de illis, qui in Sardo dormire fabulatur: ex eo enim quod nullum motum perspexerunt dormientes; nullum tempus præterisse existimabant: & tamẽ quingenti anni (vt ferunt) iam præterierant: ergo signum est: quod tempus cognoscitur ex priori, & posteriori in motu: igitur tempus non potest esse mensura realiter distincta à motu.

Tertio, motus primi mobilis est aptus, vt sit tempus: igitur tempus non est quantitas ab eo realiter distincta. Antecedens probaui: nam motus iste fundamentaliter est certus; inuariabilis.

B b bilis